

Capitula

VII. Ut nemo recipiat ad aliam ecclesiam conversum ire volentem.

^[2] Nemo nostrum quemcumque hominum conversum ire volentem ad aliquam nostrarum ecclesiarum dehortetur, aut sibi attrahat, sed nec si mutato proposito sponte remanere voluerit retineat. ^[3] At ubi ad locum destinatum pervenerit, si priusquam probandus suscipiatur, propositi poenituerit, egressum recipiat qui voluerit. 4. Quod si post susceptionem egreditur, nusquam praeter assensum illius ecclesiae recipiatur.

VIII. De monacho vel converso fugitivo.

^[2] Si quis monachus vel conversus de aliquo nostro coenobio occulte fugiens ad aliud devenit, suadeatur ei ut revertatur. ^[3] Si renuerit plus una nocte ibidem manere non permittatur. ^[4] Et monacho quidem habitus si cum eo inventus fuerit auferatur, nisi priusquam ad nostrum ordinem venerit, monachum fuisse constiterit.

IX. De construendis abbatiis.

^[2] Ordinatum est in honore reginae coeli et terrae nostra omnia fundari debere coenobia. ^[3] In civitatibus castellis villis nulla construenda esse coenobia. ^[4] Non mittendum esse abbatem novum in locum novellum sine monachis ad minus XII nec sine libris istis psalterio, hymnario, collectaneo, antiphonario, gradali, regula, missali, nec prius nisi extractis his officinis: oratorio, refectorio, dormitorio, cella hospitum, et portarii, quatinus ibi statim et Deo servire et regulariter vivere possint. ^[5] Extra portam monasterii nulla domus ad habitandum construatur, nisi animalium. ^[6] Ut autem abbatias inter unitas indissolubilis perpetuo perseveret, stabilitum est primo quidem ut ab omnibus regula beati Benedicti uno intelligatur nec vel in uno apice ab ea devietur. ^[7] Dehinc ut idem libri quantum dumtaxat ad divinum pertinet officium, idem vestitus, idem victus, idem denique per omnia mores atque consuetudines inveniantur.

X. Quos libros non licet habere diversos.

^[2] Missale, textus, epistolare, collectaneum, gradale, antiphonarium, hymnarium, psalterium, lectionarium, regula, Kalendarium, ubique uniformiter habeantur.

XI. De vestitu.

^[2] Vestitus simplex et vilis absque pelliciis, camisiis, qualem denique regula describit, sed observandum de cucullis ne sint deforis flochatae et de subtalaribus diurnis ut sint vaccini.

XII. De victu.

^[2] In victu praeter hoc quod regula distinguit, de panis libra, de mensura potus, de numero pulmentariorum hoc etiam observandum, ut panis grossus id est cum cribro factus. ^[3] Ubi autem frumentum defuerit cum sedthacio licet fieri. Quae lex infirmis non

tenebitur, sed et hospitibus quibus jussum fuerit guastellus apponetur, necnon et minutis semel in minutione libra panis albi fermentati.

XIII. Quod intra monasterium nullus carne vescatur aut sagimine.

^[2] Pulmentaria intra monasterium sint semper et ubique sine carne sine sagimine nisi propter omnino infirmos et artifices conductos.

XIII. Quibus diebus utimur quadragesimali cibo.

^[2] In quadragesima ante nativitatem domini et in Septuagesima et in omni VIa feria praeter infirmos et jejuniis quatuor temporum in septembri, in vigiliis sanctorum Johannis Bapt., Petri et Pauli, Laurentii, Assumptionis S. Mariae, Mathei apostoli, Simonis et Judae, omnium sanctorum, Andreae apostoli, quadragesimali vescimur cibo.

^[3] Propter hospitem, nisi sit infirmus, nihil ematur.

XV. Unde debeat monachis provenire victus.

^[2] Monachis nostri ordinis debet provenire victus de labore manuum, de cultu terrarum, de nutrimento pecorum. Unde licet nobis possidere ad proprios usus aquas, silvas, vineas, prata, terras a saecularium hominum habitatione semotas et animalia praeter illa quae magis solent provocare curiositatem et ostentare in se vanitatem quam afferre utilitatem sicut sunt cervi, grues et cetera hujusmodi. Ad haec exercenda nutrienda, conservanda seu prope seu longe grangias habere possumus per conversos custodiendas et procurandas.

XVI. Quod non debeat monachus extra claustrum habitare.

^[2] Nam monachi cui ex regula claustrum propria debet esse habitatio licet quidem quociens illuc mittitur ire sed nequaquam diutius habitare.

XVII. Quod in ordine nostro foeminarum cohabitatio interdicta sit.

^[2] Remota omni occasione sive nutrimentorum augendorum vel conservandorum sive rerum monasterii quarumlibet, ut quando necesse est, lavandarum sive denique cujuscumque necessitatis foeminarum cohabitatio nobis et conversis nostris omnino interdicta est.

XVIII. Quod nec ingrediantur portam monasterii.

^[2] Sed nec intra curtes grangiarum hospitari nec portam ingredi permittantur.

XIX. Quod nullam cum saecularibus societatem in pecoribus nutriendis, terris excolendis dando vel accipiendo medietatem vel similia.

^[2] Nullam cum saecularibus societatem in pecoribus nutriendis seu terris excolendis

habere permittitur videlicet dando vel accipiendo medietariam aut cressimentum.

XX. Quod per conversos haec agenda sint.

^[2] Per conversos, ut dictum est, agenda sunt haec aut per mercenarios quos utique conversos episcoporum licentia tanquam necessarios et coadjutores nostros sub cura nostra sicut et monachos suscipimus, fratres et participes nostrorum tam spiritualium quam temporalium bonorum aequae ut monachos habemus.

XXI. De probatione conversorum.

^[2] Quos tamen ad nos noviter venientes per annum probamus. Post annum qui remanere voluerit et retineri meruerit, in capitulo ejus professionem suscipimus.

XXII. [Ut de converso non fiat monachus.]

^[2] Qua facta monachus jam etsi multum petierit, non fiat sed in ea vocatione qua vocatus est, permaneat. Quod si forte alibi suadente diabolo a quolibet vel episcopo vel abbate monachi seu etiam canonici regularis habitum sumpserit in nulla deinceps nostrarum ecclesiarum suscipiendus erit.

XXIII. Quod redditus non habemus.

^[2] Ecclesias, altaria, sepulturas, decimas alleni laboris vel nutrimenti, villas, villanos, terrarum census, furnorum vel molendinorum redditus et caetera his similia monasticae puritati adversantia nostri et nominis et ordinis excludit institutio.

XXIV. Quos suscipiamus ad confessionem, ad communionem, ad sepulturas.

^[2] Ad confessionem, ad sacram communionem, ad sepulturam neminem extraneum praeter hospitem et mercenarios nostros intra monasterium videlicet morientes recipimus sed nec oblationem ad missam in conventu.

XXV. Quid liceat vel non liceat nobis habere de auro argento gemmis etserico.

^[2] Altarium linteamenta, ministrorum indumenta sine serico sint praeter stolam et manipulum. Casula vero nonnisi unicolor habeatur. ^[3] Omnia monasterii ornamenta, vasa et utensilia sine auro, argento et gemmis praeter calicem et fistulam quae quidem duo sola argentea et deaurata, sed aurea nequaquam habere permittimus.

XXVI. De sculpturis et picturis et cruce lignaea.

^[2] Sculpturas nusquam, picturas tantum licet habere in crucibus quae et ipsae nonnisi lignaeae habeantur.